



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro
singulis Anni diebus**

Complectens Januarium, Februarium, Martium

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 23. De imitatione Jesu Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60495](#)

pro singulis anni diebus.

69

Januarius.

DIES XXIII.

De imitatione Iesu Christi.

I.

Christus hoc dixit; itaque credendum est: Christus hoc fecit, itaque faciendum est. Ipse est Magister noster; eum igitur audire oportet. Ipse est dux noster; itaque eum sequi oportet. Ipse est Magister noster, & ipsa veritas; itaque ipsi auscultando decipi non possumus; est dux & ipsa via: itaque eum sequendo errare non possumus. Anne ipsius axiomata nostrorum animi sensuum normam statuimus? Anne ipsius exempla, vitæ nostræ regulam nobis proponimus? An non axiomata mundi hactenus regula fuere opinionum nostrarum? An non exempla mundi hactenus fuere regula vitæ nostræ? An hoc inficias ire possumus, quin nos decipiamus? An hoc agnoscere possumus, quin confundamur?

II. De mundo longè aliter ratiocinari convenit! mundus hoc dicit: itaque non credendum. Mundus hoc facit; itaque hoc non faciendum. Mundus Mendax est; si ei credimus, in errorem labemur.

E 3

Mun-

Januarius. Mundus cæcus est ; si eum sequimur , à re-
cto tramite deflectemus. Is , inquam cæ-
cus est ; magis igitur cæcutire necesse il-
lum , qui ejus se directioni commitit.
Matt. 15. *Cæcus si cæco ducatum præstat , nōnne ambo in-*
v. 14. *foveam caderent ? Deus bone ! an non sæpe-*
numero cecidi , dum malum hunc ducem
secutus sum ? at saltem è lapsu iterum sur-
rei ? & quâ ratione , Domine , surgere
possum sine auxilio manus tuæ adeò po-
tentis , ac benignæ ? & quis in viam re-
ctam reducere , & in ea dirigere me potest ,
nisi tu Dux adeò peritus , & falli ne-
scius ?

III. Totus Mundus hoc facit , inquiunt;
itaque hoc fieri oportet. Ah misera ra-
tiocinatio ! ah ! mala Conclusio ! hunc in
modum loqui , non est loqui , ut Christianum ,
imò nec , ut sapientem Ethnicum
debet. Quidam eorum dixit , Argumentum
ferè certum esse , rem aliquam nul-
lius esse pretij , ubi plerique eam faciunt:
Argumentum pessimi multitudo. pars sapien-
tum nec maxima , nec copiosissima est.
Spiritus sanctus nos docet , *stultorum infi-*
nitum esse numerum. Cur ergo eos sequa-
mur? Christus IESUS neutiquam dixit , quod
ipse sit Consuetudo ; sed quod sit veritas:
Quantacunque autoritate nitatur consue-
tudo

pro singulis anni diebus.

21

Januarius

tudo, præscribere contra veritatem nequit. Illa ergo relicta, huic adhæreamus; si tamen aberandi non est animus. Interea et si eā incedens aberrare possis; certò tamen eā non incedens errabis. Lata via, cùm de salute agitur æterna, via vera non est via, lata est illa, quam plerique hominū terunt, quæque nos in ertorem & perditionem abducit. Christus est via; sed via angusta: Pauci sunt, qui eā incedunt: Propterea, sicut aberrare non possumus, si eam sequimur, sic certissimè aberramus, si ab ea desfemus. Potésne dicere, te eam sequiru, qui à mundi torrente abripi te finis?

Pete à Domino nostro, ut gratiā suā opem tibi ferat eā viā ambulandi, quam tibi exemplis suis stravit, & ei cum sponsa sua dico: Trahe me Domine, & non tantum ambulabo, sed & currām post te,

Ego sum lux mundi, qui me sequitur, non ambulabit in tenebris. *Io. 8. v. 12.*

Noli per aliam viam velle ire, quām per illam, qua ipse ivit Christus: dura videtur, sed ipsa est via tuta. *Aug. in Psal.*



E 4

D I E S.